



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XXII. Vtrum circumstantia seu dignitas personæ, cæteris paribus,
meritum operis augeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

est tunc totum, sed per moram temporis completum est. Primum est contra hypothese[m], in qua conuenimus, scilicet, continuationem actus eius meritum augere. Vnde etiam aduersarij fatentur, actum illum tanto maiorem impetraturum esse gratiam, quo maiori mora fuerit duraturus. Si autem totum meritum illius actus non est completum in primo instanti, absurdum est dicere, in eo instanti dari totum premium eius, quia secundum legem Dei ordinariam non datur premium ex merito futuro prauiuso, sed meritum antecedit premium saltem ut praexistens ordine naturae. Et similiter forma gratiae non infunditur secundum futuram dispositionem, sed secundum praesentem. Alias sequeretur, ex duobus peccatoribus habentibus aequalem contritionem, vni infundi maiorem gratiam, quam alteri in primo instanti, solum quia vnus magis duraturus est in actu contritionis, quam alius, consequens autem falsum est, quia vnus in eo instanti non est melius dispositus, quam alius, & gratia vnicuique infunditur secundum propriam cuiusque dispositionem, ut Concilium Trid. dixit, nam futura mora, vel continuatio non est dispositio ad primam gratiam: imo per accedens se habet respectu illius. Item sequitur in instanti iustificationis semper infundi gratiam intentionem, quam sit contritio in illo instanti, quia aliquid additur gratiae ratione futurae continuationis. Imo contingere potest, ut homo perseverando in actu contritionis per aliquod tempus, in toto illo intendat continue suum actum: absurdum autem est dicere, totam gratiae intentionem respondentem illi intentioni actus dari in primo instanti iustificationis: ergo falsum est etiam dicere, dari in illo instanti intentionem gratiae per continuationem actus comparatam. Praeterea est optimum argumentum, quia tota prima gratia datur sine merito de condigno, & augmentum quod responderet continuationi actus datur de condigno: ergo non datur in primo instanti, sed successiue, prout continuatio actus tempore successiue coexistit. Alias prima gratia non omnino gratis daretur, nam quod datur ratione continuationis futurae, non datur gratis, sed ex merito proprio, ut postea videbimus. Denique actus ille in vno instanti factus, est perfectus, & determinatus in suo esse, & intentione: cur ergo illi, ut sic, non respondebit determinatus gradus meriti, & gratiae, siue in ordine ad nostrum tempus amplius duraturus sit, siue non sit?

17. *Vera tau-*
dem respon-
sio ad 2. ra-
tionem du-
bitandi in
num. 1.
Dico ergo in actu meritorio facto in instanti, & continuato per aliquod tempus, distinguenda esse duo: vnum est productio actus, quoad substantiam eius, aliud est perseverantia in illo actu per moram temporis, quae est veluti circumstantia illius actus. Illi ergo actui ratione liberae productionis quoad substantiam eius responderet certum meritum, & definitum premium, seu gradus gratiae, ut probant omnia adducta. Neque inde recte inferitur, tantumdem meriti respondere singulis instantibus eiusdem actus prout coexistit singulis instantibus eius temporis, cui coexistit, quia in omnibus illis instantibus non producit nouus actus meritorius, sed perseveratur in eodem, vnde non est idem modus operandi, neque idem usus libertatis. Nihilominus tamen ratione continuatae permanentiae in eodem actu aliquid moralis valoris accrescit illi actui in ordine ad meritum: illud tamen augmentum non fit in instanti, sed successiue, ideoque non est infinitum, quia finito tempore fit, & per partes illius temporis crescit cum proportionem ad illas, & consequenter etiam per instantia non adduntur illi partes meriti, sed in eis continuatur meritum cum eadem proportionem quasi permutata esse indiuisibilia, & ideo etiam ex instantibus non confurgit infinitas, quia ex vi singulorum instantium non augetur meritum continuationis actus, sed terminatur, vel copulatur, prout ex partibus successiuis constat.

Pars 3.

Obijci vero solet, quia inter instans, & tempus non est proportio: ergo neque inter meritum primi instantis, & meritum continuationis erit proportio, ac subinde vnum excedet aliud infinite. Sed respondetur facile, primum non ideo dici instans esse improprietate temporis, quia ab illo infinite excedatur, sed quia instans est indiuisibile, & ideo non potest esse pars continui, & consequenter nec seruare ad illud proportionem partis, quam vocant aliquotam. Et deinde in hoc ipso non fit recta comparatio ad meritum. Quia meritum primi instantis licet sit indiuisibile quoad productionem, quae est tota simul, nihilominus tamen meritum talis actus est certa quantitas, & perfectionis, quae a nobis considerari potest ut quid indiuisibile secundum valorem, & intentionem, & ita illi potest correspondere gratia ut duo, vel ut quatuor, &c. Iuxta perfectionem actus. Et hac ratione potest illud meritum, seruare proportionem ad meritum totius continuationis, & interdum esse maius in momentanea productione actus, quam in continuatione, si parua sit, vel remissa: aliquando vero poterit excedere meritum continuationis, si magna sit, & praecipue sit sit continua cum maiori intentione ipsius actus, quia iam additur actui noua circumstantia augens meritum. Veruntamen quauis contingat, actum continue intendi toto tempore, quo durat, non potest etiam inde colligi augmentum infinitum, quia ex viroque capite intentionis, & continuationis meritum successiue crescit quasi per partes proportionales, & in singulis instantibus solum est continuatio eiusdem meriti, & ideo cum solum duret augmentum pro tempore finito, finitum semper est, & certis terminis clausum. Et hanc eandem responsum ad illam difficultatem pluribus verbis declarauimus, & confirmaui in dicta relectione, & ideo non videntur hoc loco plura necessaria.

C A P V T XXII.

Vtrum circumstantia, seu dignitas personae, ceteris paribus, meritum operis auget?

Hae quaestio praecipue moueri solet de dignitate gratiae habitualis. Feri enim potest, ut duo iusti habentes inaequales habitus gratiae, aequaliter nunc operentur, est ergo dubium, an ille actus sit eiusdem meriti in viroque, vel maioris in eo, qui intensiorem habitum gratiae habet. Et videtur sane non crescere inde meritum. Primo quia habitus gratiae per se non confert ad meritum, sed tantum ut actu operans, quia habitibus nec meremur, nec demeremur, sed habitus gratiae non plus operatur in eo, in quo est intensior, quam operetur minor gratia in altero, quia supponuntur aequaliter operari: ergo gratia illa, licet sit in se maior, non auget meritum. Explicatur amplius, quia tunc gratia non est circumstantia operis, sed quasi materialiter, & concomitanter se habet in tali persona. Secundo augetur difficultas, quia ille, qui cum minori gratia aequaliter operatur, non minori, immo quodammodo maiori videtur laude dignus, quia cum minoribus gratiae habitualis viribus aequibene, ac alius operatur, & ideo vel iste magis meretur, vel certe vnus dignitas cum alterius diligentia compensabitur, ut non plus alter mereatur. Tertio facit generalis Dei lex, quod vnusquisque recipiet secundum opera sua, seu secundum suum laborem: ergo si opera vtriusque aequalia sunt, aequale recipiunt premium, & ita aequalis erunt meriti, etiam si vnus habitualiter sit sanctior alio. Quarto possumus argumentari, quia alias hic etiam videtur sequi quidam processus in infinitum: suppono enim ex supra dictis, augmentum gratiae, quod iustus meretur, statim dari, ac proinde iustum, qui opus facit meritorium, in eodem instanti fieri habitualiter sanctiorem: ergo si

18. *Diluitur obiectio.*

1. *Argum. pro parte neg.*

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Tt 3 maior

maior sanctitas habitualis augeat meritum, eo ipso, quod persona facta est sanctior, in eodem instanti augebitur meritum talis operis, quia iam est à persona sanctiori. Vnde vltimus ratione operis iam facti maioris meriti, iterum gratia augebitur, & ex illa crescet idem meritum, & sic in infinitum. Ad vitandum ergo simile absurdum, dicendum potius est, sanctitatem habituales non conferre ad meritum, nisi quatenus actu operatur, ac proinde idem opus propter maiorem gratiam habituales non esse magis meritorium. Quinto argumentor, quia alias sequeretur in omni opere meritorio tantum augeri meritum, quantum est intensa gratia ipsius operantis, ita ut si gratia sit ut quatuor, actus mereatur tot gradus gratiæ præter illos, quos ratione suæ bonitatis, & aliarum circumstantiarum meretur, consequens est incredibile: ergo. Sequela patet, quia si gratia habitualis per se dignificat actum secundum se totam augebit illum: ergo tantum augebit, quanta ipsa est. Vnde etiam fieret, ut si gratia operantis esset infinite intensa, quilibet actus etiam minimus hominis habentis talem gratiam, esset infinite meritorius, sicut fuit omnis actus Christi Domini, quod etiam est incredibile. Propter quas rationes, vel earum aliquas hanc sententiam defendit Medina 1.2. q. 114. art. 8. & refert illam docuisse Magistrum, Cano, & alios sui ordinis viros doctissimos. Et solet etiam pro illa referri Geson tract. de Merito, liter. R. Sed nec tractatum illius tituli, nec sententiam ipsam in operibus eius inuenio. Estque opinio hæc satis probabilis.

Contrariam sententiam docuisse Victoriam refert Medina supra, & addit etiam P. Ioan. Penna eiusdem ordinis insignem nostri temporis Theologum, quos ego sequutus sum in tom. 1.3. p. disp. 4. sect. 4. §. Ad primum, soletque attribui Almaino tract. 2. Moral. c. 10. Sed licet circa finem capituli aliqua dicat, quæ ad hanc partem applicari possunt, re tamen veram illam non defendit: imo ex discursu eius contrarium colligi potest. Nam supponit ad actum meritorium semper charitatem adiuuare concurrere, & inde infert: posse actum esse magis meritorium ex maiori influxu charitatis, licet voluntas non plus conetur, vel interdum etiam si minus conetur. Quæ siue sint veræ, siue falsæ, ad præsentem causam non pertinent, semper tñ supponit, actum magis meritorium esse in se maiorem, seu intensiorem ex conatu voluntatis, vel charitatis, & ita potius significat, actum æqualem nunquam esse magis meritorium ex sola quasi assistentia intensioris habitus gratiæ, vel charitatis. Refertur etiam pro hac sententia Victor. lib. 1. q. 9. ubi nihil de hoc puncto disputat, obiter tamen videtur huic sententiæ favere in dub. 1. ad 3. quatenus ait charitatis intensiorem non tantum conferre ad maiorem intensiorem actus, sed etiam ad maiorem dignitatem, & meritum eius. Allegat autem quædam D. Tho. testimonia, quæ ad rem non faciunt. Solent etiā pro hac opinione citari quædam D. Th. loca, in quibus dicit, opus esse magis meritorium, quo procedit ex maiori charitate, ut 1. p. q. 95. art. 4. & quodlib. 6. art. 11. & 1. Corinth. 3. lect. 2. Sed in illis locis non satis constat, an de habituali, vel de actuali charitate loquatur. Magis videtur favere in 2. d. 29. qu. 1. art. 4. quatenus dicit, meritum ex gratia, voluntate, & obiecto mensurari posse. Vnde addit. Quanto maiori gratia actus informatur, tanto magis est meritorium. Vtique cæteris paribus. Dicitur autem actus informari gratia eo ipso, quod est in subiecto grato, sicut habitus virtutum, & charitatis ipsa gratia informatur, ut in superioribus ex doctrina eiusdem D. Thomæ diximus.

Ratione potest hæc sententia suaderi, quia dignitas personæ operantis est vna ex conditionibus, quæ augent valorem operis in ordine ad meritum, etiam si ex parte operis cætera æqualia sint: sed gratia constituit personam dignam ad merendum apud Deum: ergo maior gratia magis dignam: ergo eo ipso maior

gratia meritum augeat, etiam si alias opus sit æquale. Maior communiter recepta videtur tanquam principium quoddam morale per se notum moraliter, quæ opus maxime placere solet ratione personæ, iuxta illud Gen. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ita intellexisse videtur Greg. lib. 22. Moral. c. 8. alias 12. dicens: Omne, quod Deo datur, ex dante mente pensatur, quod explicans addit, itam iudici placare nescit oblatio, nisi ex mūditi placeat offerentis. Deinde potest dictum axioma varijs exemplis quasi inductione persuaderi, & primo multum ex rebus humanis non temere, sed prudenter nobilitari. Nam in militia maioris æstimationis habentur æquales labores, & vigiliæ viri nobilis, quam vulgaris, & servatiæ æquitate maiori pramio remunerantur. Item in merito apud Deum veluti supremum exemplar est Christus Dominus, & meritum eius, & dignitas personæ infinitum fuit. Fateor autem esse magnum discrimen non solum in excellentia dignitatis, sed in eo maxime, quod in Christo illa dignitas suppositi operantis erat substantialis, & constitutus ipsum suppositum per se operans, quod non habet gratia creata, quæ accidentaliter est, & ideo dici potest se habere concomitanter, & non dignificare personam ut est principium talis operis.

Sed nihilominus exemplum non parum inducit probabilitatem, quæ per gratiam sit homo filius Dei adoptivus, & Deus per participationem, & quod operatur in ordine ad placandum Deum, ut Patre suum, seu in ordine ad vitam æternam, quæ hereditas filiorum Dei est, consequendam moraliter operatur ut Dei filius, & ut eleuatus ad esse diuinum participatū, & ideo in his operibus moraliter censetur gratia concurrere, ut dignificans personam. Potest et hoc vltius explicari ex multorum Theolog. sententia, asserentium in homine iusto omnia moralia opera bona, quomodocumque fiant honeste esse meritoria vitæ æternæ ratione gratiæ habitualis, quæ dignificando personam, & eleuando illam ad supernaturalem statum, & finem cum illa dignificat omnes bonas actiones eius aptas ad supernaturalem finem referri: ergo iuxta hos auctores hæc dignitas gratiæ sufficit, ut opus ex non digno fiat dignum: ergo maior est gratia satis erit, ut opus dignius, ac subinde maioris meriti censetur. Et nos supra illam sententiam approbamus quoad bona opera, quæ aliquo modo supernaturalia sunt, in quibus certe maiorem verisimilitudinem, & proportionem habet ratio, & cōparatio facta, quia talia opera, ut conaturali modo fiant, per se pertinent ad hominem deificatum per gratiam, & eius virtutem: ergo quo dignitas personæ in illo ordine fuerit maior, eo erit opus maiori acceptatione dignum.

Denique hac ratione docet D. Thom. primam conditionem, quæ non est meritoria gratia de condigno, eo ipso quod gratia informatur, mereri gloriam de condigno: vnde censet, gratiam eo ipso quod dignificat personam, aliquid valoris moralis actui supernaturali tribuere: ergo sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Et confirmari hoc potest, nam opera amicorum in maiori æstimatione habentur, & quo amicus intimior est, eo donum plurius habetur, & intercessio eius efficacior est. Et hinc in Scriptura visitatum est, in orationibus ad Deum commemorare personas singulariter illi dilectas, ut earum intuitu, & beneuolentia oratio fiat Deo gratiores. Sic Daniel cap. 3. Propter Abraham dilectum tuum, propter Isaac fratrem tuum, & propter Iacob sanctum tuum, &c. ergo si dignum est fieri opus magis Deo gratum ex morali cōiunctione ad personam gratiorem, etiam si opus in se maius non sit. Atque eodem modo orationes insignium iustorum, & quia à Deo magis diliguntur, efficaciores sunt apud Deum, ut ex varijs locis Scripturæ, in quibus orationes, & intercessiones iustorum maxime commendantur. Vnde Iob. vlt. amici eius iubentur eundem adire, & intercessores adhibere, & addit Deus: Iob seruus meus orabit pro vobis faciem eius suscipiam: cur ergo

Quintum.

2. Pars affirm. quam sequitur auctor cum alijs.

3. Suadetur ratione.

4. Proximum Christi exemplum iustitiae.

5. Tandem confirmatur ex doctrina D. Thomæ.

non idē dicimus de opere meritorio Deum nimirū respicere ad gratiam operantis, ut iuxta personæ qualitatem, & dignitatem opus eius ad proportionatum præmium acceptet. Atque magis ex responsione ad argumenta confirmabitur, nam doctrina hæc per se spectata, est valde consentanea dignitati gratiæ, & suauitati, ac æquitati prouidentie Dei, ergo si nihil est, quod repugnet, præferenda est.

6. Ad primam ergo rationem contrariæ sententiæ respondetur hoc augmentum meriti non esse formaliter, ut sic dicam, ab habitu, non enim dicimus, ipsum habitum esse meritorium, sed actum, qui a persona digniori factus per habitum, procedit. Et licet habitus nihil influat physice in actum, & ideo non reddat illum interiorē, nihilominus influat moraliter, quia iustus operans se totum submittit Deo in obsequium eius, ideoque tale opus maioris æstimationis, & valoris apud Deum est. Vnde non vere dicitur habitualis gratia ibi tantum materialiter, & concomitanter se habere: nam etiam concurrat ad meritum ut circumstantia personæ operantis, sicut concurrat ad imperationem, & satisfactionem, quæ sine dubio plus valet apud Deum, quo persona se assilgens, & humilians in conspectu Dei, & in obsequium eius, sanctior est, & dignior apud ipsum. Ad secundum respondetur, non teneri eum, qui maiorem habet gratiam habituales, operari semper secundum totam latitudinem eius quoad intentionem, vel meliori modo quoad operis perfectionem, & ideo si iuxta occurrentem occasionem, vel actuale Dei motionem conuenienti modo operetur, circumstantia illa secundum totam latitudinem habitus, vel infra illam non est circumstantia per se augens, vel minuens meritum, nisi quatenus augeat, vel minuat realiter, seu intensius ipsum actum. At vero excessus in dignitate quem maior gratia confert, est specialis circumstantia operis meritorii, quæ per se, ac cæteris paribus, eius valorem augeat. Ad tertium respondetur, Deum quidem reddere unicuique mercedem secundum opera sua, spectando tamen in singulis omnes eorum conditiones, quæ ad eorum valorem, & æstimationem meriti moraliter conferre possunt, inter quas una est dignitas personæ operantis. Sed inquit Medina, quia merces esse debet secundum proportionem operis, ergo si dignitas operantis non facit opus esse maius, non augeat eius meritum. Respondetur tamen vel laborari in æquiuoco, vel falsum assumi. Nam si antecedens intelligatur de entitate physica operis, falsum sumit, & ex parabola vineæ, & operatorum, ac denarii diuini contrarium colligitur, & ex Gregorio supra, & est per se notum, si autem intelligatur de proportionem operis moraliter considerati quoad valorem suum, sic quidem verum est antecedens, tamen in eodem sensu falsa est propositio subsumpta in consequente inclusa: nam dignitas personæ licet non augeat opus physice, augeat moraliter, ut declaratum est. Illudque argumentum in merito Christi ostenditur esse omnino inualidum. Ad quartum negatur sequela, quia illud gratiæ augmentum, quod ratione actus meritorii denuo infunditur, non augeat meritum eiusdem actus, quia non est circumstantia eius neque actus procedit a persona ut sic dignificata, sed potius est ratio illius augmenti, ideoque inde non augeatur meritum, alioqui idem actus esset sibi causa sui meriti, seu augmenti eius, quod perinde est, id autem esse non potest, ideoque cessat processus in infinitum.

Ad secundum.

Ad tertium.

Instantiæ respondetur.

Ad quartum.

7. Ad quintum respondetur negando primam sequelam, quia gratia personæ non ita dignificat actum eius, sicut sanctificat personam ipsam, nimirum informando illam, eiq; inherendo, sed solum per quandam habitudinem, & moralem respectum. Et ideo non sequitur tantum valorem conferre actui ad merendam gratiam, quanta ipsa est. Verum igitur est,

totam gratiam personæ, & omnes gradus eius conferre ad valorem actus, non tamen, secundum illam æqualitatem, sed secundum quandam proportionem, quæ prudenti arbitrio definienda est, & in ordine diuinæ prouidentie est iam prædefinita. Sicut est certum in quolibet meritorio actu augeri meritum ex intentione actus, & consequenter est certum omnes gradus intentionis, qui sunt in actu, concurrere ad tantum meritum eiusdem actus, & tamen inde non sequitur, per quolibet actum meritorium mereri operantē tot gradus gratiæ, quot sunt gradus intentionis in actu, sed secundum aliquam proportionem diuino arbitrio determinandam: idemque est fere in cæteris omnibus circumstantiis: idem ergo erit in hac de circumstantia personæ. Neq; obstat replicatio Medinæ obicientis, hoc gratis dici, quia si quæ obstat. rationes probant, meritum augeri ex maiori gratia personæ, probant æque augeri, vel si non probant, absolute inualida sunt. Verum tamen discursus factus satis ostendit, hoc non gratis dici, quin potius illatio illa ab augmento ad magnitudinem augmenti in æquali gradu nullo fundamento nititur, nam & in aliis circumstantiis actus manifeste deficit, & in merito inter homines est euident, conditionem personæ augere meritum operis, licet non augeat vique ad meritum æqualis dignitatis.

Ad vltimam vero illationem de gratia, si esset infinita, respondeo in primis argumentum procedere ab impossibili, & ex impossibili non esse inconueniens sequi aliud impossibile. Deinde vero addimus, negari posse sequelam, quia gratia creata non ita augeat meritum actus, ut ad æqualem gratiam promerendam valeat. Potest tamen instari, quia si meritum illud esset finitum, fieri consequenter posset, ut idem actus, seu in cæteris omnibus æqualis esset æque meritorius in persona habente gratiam finitam, ac in habente gratiam infinitam. Et ideo ex illa hypothese oportet fateri tale meritum esse aliquo modo infinitum, id est, superans omne augmentum possibile fieri per gratiam finitam, etiam in infinitum procedatur, nihilominus tamen illud augmentum tantum esset secundum quid infinitum, nec esset sufficiens ad merendam hypostaticam vniōem, sicut fuit meritum Christi. Et præterea illa meritis infinitas non esset ex eo, quod gratia augeat meritum ad æqualitatem in sensu declarato, sed ex eo, quod infinitum excludit omnem proportionem, & ideo si illud consequens absurdum esse creditur, non sequitur ex eo, quod gratia augeat meritum, sed ex eo, quod gratia infinita supponitur, quod maius absurdum est. Poterat hic consequenter queri, an alia dignitates personæ, quæ non spectant ad gratiam gratum facientem, per se, ac cæteris paribus ad augmentum meriti conferant, Quod in primis queri potest de dignitate Matris Dei, item de dignitate morali, quæ prouenit hominibus ex vniōe hypostatica, & speciali coniunctione spiritali cum CHRISTO. Sed quia hæc incerta sunt, sufficere videntur, quæ de dignitate Matris DEI alibi dixi, & quæ de altera dignitate membrorum Christi in capite præcedenti tetigi. De aliis vero prærogatiuis, aut dignitatibus Ecclesiæ certum existimo, non conferre ad substantiale augmentum meriti, nisi quatenus esse possunt circumstantiæ morales operis bonitatem augentes, quia per se non habent aliam proportionem cum substantiali præmio meritorum. Idemque de dignitate status innocentie dicendum est, ut in proprio loco dicam.

8. Satisfit illationi.